

Regalem Thronum splendens. Ubi Cherubin Deum glorificant, ubi Seraphin volant, illic Paulum videbimus cum Petro in Sanctorum choro corymphaeum existentem & presidentem, genuinaque illic dilectione fruimur. Infra addit: Paulus homo fuit, ex eadem nobiscum natura participans. Verum quoniam multam dilectionis erga Christum ostendit, Caelos ipsos transcendit cum Angelis constitutus. Quo in loco, & quam Beatus jam sit Paulus, habes. Expectat quidem, ut & nos consummari, atque ut adveniat dies magna Domini, qua uti nos, ita & ipse Carnem suam recipiat, atque ampliori mercede donetur. Attamen & nunc in Beatorum Gloria sedet, ante Thronum Dei, & in coetu Angelorum atque Sanctorum: quod itidem Sanctus Johannes in Apocalypsi testatus fuit, ut vidimus. Quum vero Chrysostomus reliquorum Patrum more asserit Homil. III. in cap. III. vers. prim. ad Thessalonicens. & Homil. XI. in cap. VI. ad Hebraeos, varia esse Martyriorum genera, simul etiam, vel sine sanguine posse perveniri ad beatam illam sortem, ostendit.

Tertio, Christi haecenus de Apostolis ac Martyribus tam grande praemium Chrysostomus deprædicavit, is tamen ne Confessores quidem, immo ne ceteros quidem Justos, ab eadem Gloria, quanquam in inferiori mansione, excludit. In elogio S. Meletii Archiepiscopi Antiocheni, qui ante quinque annos migraverat ad Jesum, quem desiderabat, ait: postquam visum Deo fuerat, S. Episcopum vocare ex praesenti vita, eumque refert in chorum Angelorum, orandum esse, ut nos superstitibus obtineamus illic posse esse prope Beatum & Aeternum ejus Tabernaculum. In altera quoque Oratione alterum illustrem Antiochenum Antistitem laudat, hoc est S. Eustachium, qui in Caelum commigravit, & ad eum, quem desiderabat, Jesum profectus est; qui ad Locum pervenit turbarum expertem, unde dolor & aegritudo & gemitus abest: non illic mutationis est imago, non vicissitudinis obumbratio (nempe apud Patrem luminum, ut ait Jacobus Apostolus cap. I. 17.) sed omnia fixa & immobilia, omnia firma & stabilia, omnia incorrupta & immortalia, omnia interitus expertia & aeterna. Progrediamur nunc, a Chrysostomo percontaturi, sit-ne ad illa Beatitudinis loca praclusus, an apertus aditus reliquorum Justorum Animabus purgatis. Quid ille respondeat Homil. VII. in cap. II. ad Philippens. accipe. Non igitur lacrymis dignus est Justorum obitus, sed letitia. Si ipsi gaudent, gaudendum cum ipsis est. Absurdum enim fuerit, gaudentibus illis, nos lugere. Gaude, quemadmodum Paulus, qui ita dicebat: Nihil mihi molesti accidit, sed etiam gaudeo ad Christum abiens. Et vos gaudete, inquit, & congratulamini mihi. Gaudeamus igitur & nos, quum Justum viderimus interuisse. Nam discessit laborum suorum Mercedem accepturus. Qualis vero haec Merces? Chrysostomum audi in subsequenti Homil. XII. istis verbis nos ad bonum certamen hinc certandum adhortantem. Suxum specta, inquit, ubi palma est. Haec palmae aspectus auget studium voluntatis; spes, adimit laborum & molestiarum sensum. Longinquitas facit, ut brachium appareat